I. N. S. S. M!

EXERCITIUM MEDICUM DE ECCLIPSI MICROCOSMICA

SUB AUSPICIIS DIVINIS, BENEVOLO CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ In PERANTIQVO AD HIERAM ATHENÆO ELECTORALI & PRÆSIDIO

JOACHIM. LUDOV. KÖRBERI,
M. D. CHIM. PROF. PUBL.

Publicæ Philiatrorum disquisitioni exponet

M. JOAN FREDERICH GRUVIUS,
M. C. ERFFURT.

Ad d. 28. Mart. Ann. 1685.
Hor. & Loc. consvet.

ERFFURTI,
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII.

PROOEMIUM.

SI moderni cum præteritis seculis ingeniosam instituamus collationem & subtiliorum Philosophiæ Spagyricæ Mystarum in sublimi sua scientia sollicitè scrutantium, curiosas perpendamus speculationes, in uno omnes eosdem convenire videbimus termino, dum principalius artis suæ fundamentum ponunt in cognitione naturalium inferiorum per superiora, & superiorum per inferiora; quô fœdere vix satis admirandô, tota rerum natura, juxta *Krigsmannum*, sibi invicem vicissim associatur, ductore *Bernhardo Canesio*; vel potiùs, prout plures antiqvitatum indagatores malunt, Alchimistarum Primicerio *Hermete Trismegisto*, ex primordio tabulæ Smaragdinæ asserente: Verum & ab omni mendaciorum involucro remotum esse, quod, quicquid est superius, sit simile ei, quod est inferius, in quam sententiam rectô tramite condescendit *Ingeniosissimus* KIRCHERUS *in Oedip. Ægypt. class. 10. cap. 7.* Cœlum sursum, Cœlum deorsum; astra sursum, astra deorsum; quod sursum, omne id deorsum esse cordatè adstruens. Sanè si hanc analogiam cum Philosophia Hermetica conferamus, hanc illuc tendere, in hunc scopum curiosos artis filios collimare, hîc eorundem desiderium, hîc voti metam terminare haud difficulter conjiciendum fuerit.

Hæc enim harmonia est illa catena aurea Veterum, cujus beneficiô universa natura nihil aliud est, quàm similium raptus & mutuum desiderium: secundum *Ant. Mizaldum in Harmonia superioris mundi & inferior.* Hæc amicabilis similitudo analogum sibi facit Macrocosmum cum Microcosmo, ut sibi omninò fiat similis. Non immorabimur hîc extra institutum nostrum in applicatione hominis ad partitionem mundi, quam abundè comprobant in libris de hac Analogia conscriptis *Fortun. Licetus, Nic. Nancellus Trachyenus Parisiensis, Joann Freitagius & Aug. Ezlerus in Isagoge Physico Magico-Medica*; suffecerit intentioni, quod inter alias viscerum humani corporis cum Machina mundi analogicas comparationes consideratione non indigna sit illa, quæ inter magum mundi Lumen cum corde, inque hoc scintillante lumine vitali celebris est, similis quidem in multis sibi est Sol uterque macrocosmicus cœlestis & subterraneus; sed utrique non dissimilis Sol microcosmicus. Comparemus modò nobilissimum & perfectissimum metallum cum ejusdem qvalitatis viscere, reliqvis nihil de laude sua detractis, amicam certè observabimus conspirationem, dum illud ratione specificâ hujus deliqvio, jubente necessitate in subsidia venit; intueamur analogicè splendidissimum Solis jubar ad micantem cordis flammulam à *Jacob. Holstio tract de hâc conscripto ita salutatam: contra Mayow. in operibus Medico-Physicis p. m 138.* positâ paronomasiâ denominationem renuentem: Consideremus effectus ab utroque igne respectivè provenientes non planè absimilis apparebit analogia, expendamus insuper utriusque

usque luminis vicissitudines, mox namque liberè afful-
gent scintillantes Solis macrocosmici radii; alio tem-
pore tenebricosâ Ecclipsi intercipiuntur, idem toto
die Soli Microcosmico accidit, dum modò absque ullo
impedimento machinam suam undiquaque illustran-
do serenat, subitò inhibitô fluxu liberiori, sub nomine
Syncopes obscuram patitur Ecclipsin, cujus genui-
nam indolem rimari & ex ambiguo obstantium sen-
tentiarum cataclysmo, quantum id nostro judicio fie-
ri poterit, aliquatenus eruere cum hâc disqvisitione
decreverimus, eâ mente ut subtilior, modò non sit ini-
qva, Benevoli Lectoris censura accuratius supplemen-
tum addere non gravetur, Divinam Sapientiam humil-
limè imploramus, ut inceptis nostris clementer adsi-
stere velit.

CAP. I.

DEFINITIONEM NOMINALEM & REALEM cum DIFFERENTIIS SYNCOPES explicans.

DUm affectûs nostri nominalem instituimus conside-
rationem, primâ statim fronte notabiliora Syncopes
symptomata ex derivatione involvuntur; deducas
namque originem vocis ἀπὸ τῦ συγκόπτειν, quod Syn-
cope affecti, ut fulgure icti, in momento concidant,
aut sumas Syncopen q. s. σὺν κόπῳ, quod cum lassitu-
dine & præcipite omnium virium lapsu invadat, ex qvo etiam Ger-
manis audit die Ohn-Macht/ utraque denominatio stare poterit ha-
bitô respectu utriusq; affectum nostrum concomitantis symptomatis.
Hippocrati quidem ac plerisque ante *Galenum* Medicis hæc vox græ-
ca fuit ignota, hujus tamen tempore innotescere incepit, ut nunc
familiariter in Medicorum Scholis teratur.

Realiter definitur SYNCOPE, qvòd sit præceps subitaque omnium virium sufflaminatio, sensu ac motu utroque admodùm intercepto à Spirituum influorum & cordis insiti eccentricitate proveniens.

Excludimus in hâc nostra definitione examinationem Apoplexiæ, quæ quidem machinam corpoream itidem violentiâ momentaneâ prosternit cum sensuum & motûs voluntarii ablatione, ab inhibito influxu spirituum animalium totali, remanente tamen motu naturali in respiratione & pulsu robustiori observabili, ut qui absque spiritibus animalibus ad tempus procedere potest. In omnibus quidem actionibus perfectè & constanter peragendis necessariò Spiritus utriusque influi & insiti in organo connubium & blanda reqviritur conjunctio, nihilominùs in simplicissimis qvibusdam operationibus, qvalibus & pulsus annumerari potest, duo spiritus, ut arteriosus s. vitalis & cordis insitus, qui ab illo excitari debet per aliqvod temporis spatium, sufficere possunt; motus enim naturalis hîc qvodammodò durat, ut id evidenter magis conspicuum in capite truncatis & serpentibus dissectis, ubi spiritus animales ampliùs influere neqveunt, & tamen motus naturalis aliqvantisper superstes manet, qvod verò robustior sit pulsus in Apoplecticis, qvàm aliàs, ut plurimùm accidit à Plethora talibus, in qvibus sangvis copiosus vasa nimiùm replens ob denegatum liberum transitum sibi ipsi impedimento est, & tunc exitum qværens luctatur qvasi in illis, ut hinc vehementiorem concitare pulsum videatur. Longè autem aliter comparatum in Syncope, ubi uterque motus & sensus cessat, licet quidem interdum συγκοπτόμενοι, uti *Galeno* vocantur, ad se iterùm redeuntes reminiscantur eorum, eademque recenseant, qvæ ipsis ingruente & durante paroxysmo obvenerint, qvâ ratione sensum Ecstaticorum adinstar exercuisse videntur; Sit hoc, qvod confusa phantasmata Spiritus animales in cerebro specificati â conceptis ideis formâssent, in consummata tamen Syncope idem nullatenùs concedi posse autumamus, nisi in leviori Lipothymia, ut in qva Spirituum vitalium cum animalibus commercium, & mutua irradiatio non penitùs est inhibita, id assumere velimus.

Ex his jam non obscurè profluunt differentes deliquiorum gradus, non quod essentialiter à se invicem distingvantur, prout *Brassavolus in Comment. Hipp. ad aph. 8. Sect. 7. Raimund. Joh. Fortis in con-*

in consult. 58. cent. 1. & Mercatus lib. de intern. morbor. curat. c. 10. contendunt, sed quatenus respectu remissioris & intensioris invasionis, diversa etiam sortiantur nomina: ἔκλυσις siquidem leviorem virium exsolutionem exprimit, λειποθυμίας & λειποψυχίας nomine gravior animi defectio *Hippocrati* aliisque veteribus notata fuit, quorum omnium Συγκοπὴ gravissimum innuit gradum, à quo ut potiori & nos denominationem nostram desumsimus, cum Symptomata terribiliora & atrociora præ reliquis explicare jubeat, interim cum illis idem causarum agnoscens fundamentum obsoleto græco vocabulo Oxyctoria ceu abbreviatio & abscissio vitæ *ab Aretæo l. 2. acut. c. 3. in P. Zachiæ quæst. medic. legal lib. 4. tit. 1. q. 11. p. m. 329. allegato*, insignita: Si tandem eò usque devenit deliquium, ut penitius in toto corpore pulsatio aboleatur, & præsentissima πανολεθρία & internecio machinæ humanæ instet, ἀσφυξία *à Galeno lib. 1. de præsag. ex puls.* indigitatur.

Alia adhuc prioribus superveniens Syncopes involvitur differentia ratione Subjecti, quâ interdum est idiopathica, dum Cor cum Sangvine & Spiritibus in utroque contentis essentialiter afficitur; sæpius autem Sympathica irruit, quando illud aliunde tanqvam è foco compatitur, idqve modò per consensum privativum, cum in sua functione debilitatur & labascit per nimias evacuationes, quibus spiritus vitales depauperantur, & conseqventer Archæus cordis in operatione sua hebetatur, ut nec cor movere, nec perfectam vitalitatem corpori conferre qveat, modò consensu positivo, dum peregrina & sylvestria miasmata regale Microcosmi palatium infestant, archæalem hujus directorem contaminant, & Massam Sangvineam coinquinant, surrogantur etenim infensa talia ὑποκαύματα pro inducenda Syncope à variis variarum corporis partium inflammationibus, abscessibus & ulceribus, unde à Mediastini inflammatione talem vidit *Panarolus obs. 16. Pentec. 2.* à pericardii suppuratione similem historiam memorant *Fabric. Hildanus Cent. 11. obs. 27.*, nec non *Philotheus comment. ad aph. Hipp. 41. Sect. 2.*, ut & *Zacut. Prax. admir. l. 1. obs. 138.* Ab abscessu partis carnosæ diaphragmatis ejusdem eventus meminit *Theoph. Bonetus in Sepulchret. l. 1. Sect. 6. obs. 1.* Qvomodo etiam ad Syncopes generationem non rarò concurrat

currat Pancreatis præternatutalis status præter. *Sylv. Prax. l. 1. c. 36.* & *Regner. de Graaf tr. de Pancreate conscripto*, patefaciunt historiæ de hoc viscere ulceroso, Scirrhoso aut Sphacelato *Jac. Aubert. progymn. Exerc. 44. ad lib. de abdit. Fernel. Laz. River. cent. 1. obs. 90.* & *Greissel. in Miscellan. curios. anni 1673. obs. 45.* A Pulmonibus & hepate putrefactis observationes Syncopes sympathicæ memorabiles recensent *Ballonius paradigm. 174.*, *it. consil. 25. lib. 1. Heurnius comment. in aph. Hipp. 4. Sect. 6.* & *Th. Kerckringius obs. anatom. 77.* Morbosa qvoqve ventriculi dispositio ex se ipsa, aut vermibus aliisque heterogeneis advenientibus talis, multiplici experientiâ Historiographorum Medicorum *ut Caspar. Bauhini, Th. Boneti, Plateri, Mermanni per Observationes, Zechii ex consultat. 46.* & aliorum Practicorum notata commentis fomitem mali subministrat, qvod deliqvium hinc κατ' ἐξοχὴν Cardiacum appellatur *ab Adrian. Spigelio Epist. ad Gol. Sophierum* indifferenter cum aliis Lipothymiis confusum; Nec inculpata sunt reliqva viscera, lien nimirùm secundum *Observ. Nic. Tulpii 29. lib. 2.*, renes ex relatione *cit. Ballonii Ephem.* & *Epidem. lib. 2. p. 152.*, utriusque sexûs genitalia & inprimis Uterus in Syncope hysterica *Schenckio lib. 4. observ. tit. de uteri suffocat. Highmoro, Vesalio B. T. de Guldenklee l. 2. c. 17.* pluribusque Practicis in similibus casibus consentientibus, aliaque viscera, qvô nomine illa veniant, variis modis vitiata facili negotio morbosum pabulum affectui nostro porrigere possunt, sicuti examine Causarum in seqventibus id manifestiùs conspicuum fiet.

CAP. II.

ÆTIOLOGIAM SYNCOPES expendit.


Uot verò & qvàm diversæ Causæ Symptomati nostro syncoptico calamitosas aperiunt fores, ad tot periculosas Syrtes & tàm salebrosos ambiguarum difficultatum scopulos in earundem genuina ratione & vero affectum nostrum producendi modo scrupulosè indagando dubium hoc æqvor tranantes inter dissentientes Recentiorum & Veterum animos certissimè allident. Tantis qvidem controversiis componendis vix pares erimus, nec mirandum humani ingenii aciem in tanto tamque caliginoso abstrusarum Causa-

rum

rum scrutinio hallucinari, interim mentem suam licet in arduis pro virili explicare cuivis liberum credimus.

Syncopes proinde CAUSAM PROXIMAM inqvirentes, retrovertimus nos ad definitionem affectûs nostri realem, in qva illam deducimus ab eccentricitate spirituum influorum & cordis insiti, qvod ut clariùs pateat, pro accuratiori demonstratione præreqviritur investigatio, à qvo principio sensus & motus uterque liber procedat, unde status præternaturalis in iisdem sufflaminatis facilior erit cognitio.

Qvare ex Physiologicis præsupponimus ordinarium Naturæ humanæ exercitium, per qvod omnes partes speciali suo munere decenter funguntur, spirituum influorum animalis ac vitalis nomine notorum, & insitorum, vel formæ cujusvis visceris specificæ amicâ confœderatione & indissolubili nexu principaliter absolvi, dissociato horum alterutro, indeque violatâ singulorum intimâ conjunctione nec sensitivas, nec vegetativas, nec locomotivas operationes convenienter & ritè procedere.

Liceat hâc occasione separatam Spirituum horum considerationem secundum nativam & naturalem suam indolem ex nostro στοχασμῷ penitiùs fini proposito accommodare, confirmando, qvòd Spiritus influentes sint corpora subtilia, & activa, unus per arterias vehiculo sangvinis, vitalis & arteriosus dictus; alter ex hôc in cerebro specificatus per nervos, nomine animalis & sensitivi influens, uterque cœlestis naturæ & prosapiæ, subtilitatis gradu differentiumque qvalitatum & influendi ratione diversus. Genesis siqvidem vitalium non à solo subtili sangvine deducenda, cum hîc potiùs eorundem vehiculum præbeat, qvi nobiliorem & ipsô sangvine priorem æthream agnoscere videntur originem. Explosa sunt jamdudum infirma de dubio astrorum influxu problemata, non solùm à Veteribus, interque illos *Aristotele l. 1. Meteor.* inqviente: Mundum hunc inferiorem supernis lationibus factum esse contiguum, ut universa illius virtus inde gubernetur, & hôc modo astrorum virtuosum influxum concedente; sed & noviter à Recentioribus, præprimis *Wirdigio in Med. Spirit. l. 1. c. 26. & Marc. Marci in Med. Vet. rest. part. 2. sect. 2.* uberiorem pro confirmatione additionem non indigentibus, ut nunc de illo libero liberè sentire possimus, qvod sibi solis magna Luminaria mundi non luant, nec splendore suo universum hoc duntaxat exornent, sed simi-

litudine ignium calorem activum radios & spiritus de se spargant, qvibus ut facultatibus ad normam, figuram & specificationem reliqvorum corporum naturalium agant, ad qvos fines, non verò ut inertia & cadaverosa sint mundi pondera, Sapientissimus rerum Conditor ea condidit, à qvorum spirituosis influentiis universus rerum naturalium ordo, periodus, vegetatio & actuatio dependet. Virtuosum hunc astrorum iufluxum immediatè in corpora tolerare non valemus ob subtilissimam suam raritatem, quod præprimis manifestum per mortes animalium in rarissimo æthere degentium; Id namque nondum modificatum est, ut in leges corporeas qvadrare possit, & hoc etiam notorium apud illos, qvi montes altissimos inhabitant ob subtilius ibidem æther & propinqviora astra minùs validos, *Joseph. Acosta Hist. Ind. occid. l. 3. c. 9. de monte Americano Periacaca.* hoc fidejubente, idem qvoqve non raró observari Mathriti in Hispania memoratur, à tenuissimo aëre, qvi nisi aliarum rerum effluviis inspissetur, minùs aptus sit hominum & brutorum respirationi. Mediante itaque aëre crassiori, à cujus spiritu salino qvalitatum astralium immensa subtilitas qvodammodò infringitur, modificatur & concentratur, influxum illum vivificum recipimus, ut hinc aër rectè *Hermeti Trismegisto Instrumentum illud mundi & delator universalis nostri Spiritus* audiat. Duplicem hinc aërem in ventre suo portare spiritum, sat probabiliter evincitur; Astralem nimirùm ab astrorum radiis & effluviis in aëre receptum; & Salinum, qvi illum subtilissimum nimis legibus naturæ cujusvis regni, animalis, mineralis & vegetabilis consentaneum & aptum pro iisdem vivificandis & vegetandis efficit, qvalem in aëre circumvolitare varia Chimica manifestant Experimenta. Si enim postqvam è vitriolo vel nitro spiritum ⊖is ♁di extraxeris & Colcothar ejus sub dio ponas, ibique per paucos dies relictum mox retortæ adhibitis △is gradibus iterùm imponas, novum eundemque efficaciorem priori elicies spiritum & puriorem, qvod itidem procedere in ⊖e ♀ri & aliis alcalibus, qvin & coctione Onis jam discunt Pyrotechni curiosi. Refert *Balduinus in ☉ sup. & infer. aur.* se possidere ♂tis mineram ☉arem, cujus fodinæ in Hassia reperiuntur, qvam si in pulverem redactam in ▽a aliqvandiu qvis coqvat, nec colorem flavum mutabit, nec saporem alium, qvàm qvi ▽æ est, habebit; Hujus unc. 12. per integros qvatuordecim dies aëri frigido exposuit, peculiarem ⊖em,
qualis

qvalis vitrioli est, attraxit, quid quod duabus unciis aucta & ipsa pondere fuit. Qvorsum apprimè qvadrant, qvæ acutissimus *Kenelm. Digbi de immort. animæ* scribit: Amicum sincerissimæ fidei ope vasorum vitreorum collegisse radios ☉is in pulverem fusci vel purpurei coloris præcipitatos, cujus possibilitas non planè omnem veritatem excludens Philosophi Pyrotechnici experimentô manifestatur, cum speculum rotundum causticum, optimè politum, ubi radii in centrum concurrunt, exponitur in libero aëre Soli, maximo æstu fervente, continuetur ita aliqvot diebus illud semper removendo, & circa centrum speculi adhærebit ⊖ niveæ albedinis, qvod cultrô abradatur in vitrum, ut hinc per dies aliqvot ⊖is hujus mirabilis una vel altera uncia colligi possit. Nec vilioris existimationis censetur modus incrassandi aërem & hunc incrassatum capiendi *Fabrit. Bartholetti in method. sua ad Dispnæam*, dum per instrumentum vitreum tubæ non adeò dissimile aëreum humorem attrahit ac colligit, qvem posteà in crystallos coagulat in Medicina valdè utiles. Idem illud ⊖ è rore majali colligitur, indeque confit *Medicina Universalis Dienheimii*, ex qvo etiam præparatur spiritus, qvo *Borellus* ☉ in liqvorem solvit, hujusque fusiorem probationem tradit *Sendivogius Cosmopolita in XII. tractat.* Hoc ⊖ concentratur cum siderum occulto vitæ cibo & cum aëre vel inspissatur, vel per ▽m prægresso in hanc influxu aëreo viventibus communicatur.

Qvô phœnomeno moti Cl. *Helmont.* & *Boyl.* respectu influxus aërei in ▽m, ex hac omnia consistere existimârunt, vegetationem scilicet & actuationem qvorumcunque sublunarium, annotante idem Doctisf. *Gvalt. Needham.* Unde substantiam hanc æthercam *Helmont. lib. de Magnet. Vulner. curat. §. 15.* vocat Magnale magnum, cujus perpetuo & continuo influxu in hæc inferiora omnia animantur & disponuntur ad suscipiendam exaltationem, dicitur & anima mundi, spiritus universalis ab astris influens & ab aëre ingrossatus. *Hoffmann. in method. medend. l. 1. c. 19.* Semen universale naturæ & proximum rerum omnium principium nuncupatur. Laudatur & *Athanas. Kircher. in mund. subterran. l. 12. c. 15. p. m. 332.* ut vitæ Balsamus, Mumia vitalis, calidum naturale, humidum congenitum, vis & vigor universæ naturæ, principium motûs, ▽a vitæ purissima, chaos naturæ & penuarium, ex qvo calor vitalis ac spiritus tanqvam

ex spermate prodeunt, qvin imò ipsâ virtute Spiritus vitalis; qvô arcano universi gazophylacio & summo naturæ thesauro inebriatus est aër, qvem haurimus & ex qvo vivimus. Alio loco citat. Autor de hoc spiritu materiali asserit eundem compositum esse ex subtiliori cœlestis auræ portione, naturæ ⊖no-♀eo-☿ alis, non abnuente, sed idem ferè sentiente de hoc spiritu *J. J. Bechero Suppl. in Phys. subterran. c. 5. p. 70, 71.* qvod nimirùm omnia vivificet. Nec inconvenienter huc adducuntur antè nominati Curiosi *Boylei & Gerick.* experimenta, dum vitro, cui animalia incarcerata, exhauriunt suum spiritum aëreum per antliam pnevmaticam, ad qvod si non subitò deponunt vitam, convulsionibus tamen miserè corripiuntur, dum spiritus vitales ob subductum aërem animales non irradiant & debito supplemento privant, unde hi motus inordinatos ineunt, & tumultuosè in genus nervosum irruentes motus convulsivos excitant; donec penitùs exspirent. Hi spiritus aërei omnium motuum intestinorum, omniumque fermentationum causæ existunt; nullus etenim succus absque aëris accessu liberiori fermentationem subibit, hinc si dolium mustô refertum obduremus, dulce manebit vinum, nec fermentabit: Parili modo & ignis motus est ab aëre hôc ipsi denegato, decrepat, analogâ ratione & flammula vitalis absque aëre extingvitur, qvod ita suo pabulo, nutrimento & illustratione defraudetur, prout illam spiritus ætherei conferunt, qvi sive beneficio aëris, aut alimentorum attrahantur, statim vitalitatis charactere informantur, & symbolum spirituum vitalium in corde sibi intimè imprimunt, subtilitate, agilitate & virtute elasticâ in momento corpus reficientes, testimoniô desumtô â sangvine, qvi sub atro colore pulmones intravit, statim ad adventum hujus spiritûs elastici floridus cernitur, & rutilus ex iisdem redit, prout ex Cl. *Lowero tract. de Cord.* ex vivisectionibus observatum est. Huic spiritui nunc facto cordiali, ut ab *Excell. LEICHNERO in Archæo suo Synoptico p. m. 19* salutatur, communiter calor & pulsus, ut actiones simplices adscribuntur, qvas absqve concurrentibus aliis spiritus absolvere & exercere possit, verum, dum de priori concedimus, qvod calorem actualem cum connaturalium actionum vigore universi corporis partibus conferat, & hunc actum ut simplicissimum solus exercere possit, id de posteriori in dubium vocamus cum rationibus experimentalibus paulò pòst supponendis. Idem ille spiritus in cerebro magis specificatus,

catus, ulteriùs sublimatus, attenuatus, exaltatus & rectificatus animalis seu sensitivi nomine venit, confirmante id *Willisio*, cum *tract. de morb. cerebri c. 11.* tradat, qvod spiritus animales diathesi sanâ & legitimâ potiti qvadantenus se habere videantur tanqvam liqvor spirituosus ⊖e volatili refertus, qvi à sangvine destillatur, qvanqvam *Mayow citato tract. p. 329.* Willisii mentem apparenter non admittat, sufficit tamen, qvod hujus ⊖ volat. illi nitro-aëreum audiat, volatili nullatenus contrarium, ut hinc & spiritus animalis ipsi nitro-aëreus dicatur, qvi licet potiori cooperatione suâ nobilissimas tum sensitivas, tum locomotivas aliis confœderatus exerceat operationes, non absimile tamen eundem manet fatum cum vitalibus, cùm vix ullus vel sensus, vel motus absqve continua horum irradiatione illi adscribi possit, prout ex seqventibus patebit, multò minùs qvòd specifica qvædam & magis composita actio alteri horum adjudicari mereatur, nisi specificus & magis determinatus spiritus connexionem priorum fortius liget, illosqve ut illimitatos & universales ad actus specificos & singulares determinet, estqve cuivis corporis parti peculiaris & propriè insitus, qvi singularibus & specificis suis Omnipotenti verbo FIAT dotatus Ideis Divini Creatoris gloriosam manifestat providentiam. Non qvidem is adeò præ influentibus activus, qvòd solus perfectè operari possit, sed semper citra influentis accessum torpet, consentiente modò laudato *Venerando nostro S E N E in Sched. p. 275.* ut in omnibus seminibus vegetabilium & mineralium, ita & animalium hoc manifestum, nisi ab influis actuetur & exsuscitetur. Unde qvi hunc spiritum specificum negant, negant naturam, perqve evidentem seqvelam influentem qvoqve spiritum, vel hujus certè determinatam operationem perimunt, ut qvæ ab insiti directione in solidum pendet, sine qva influens nihil eorum, qvæ efficit, efficeret, *Hercul. Saxon. prælect. pract. part. 2. c. 2.* è pluribus *Galeni* locis citato libr. videndis, huic opinioni favente.

Ex præcognitis hisce pro informatione nostra subsumere convenit, nec vegetandi facultatem, nec sentiendi & movendi potentias disjunctorum spirituum uni soli adsignari posse. Sicut ergò fallunt & falluntur illi, qvi motum naturalem solis spiritibus vitalibus adjudicant, ita non minùs & alii decipiuntur, qvi naturalem seu spontaneum cum animali seu voluntario motu non tantùm confundunt, sed & in

altero extremo delinqvunt, dum utrumque solis spiritibus animalibus adscribunt, qvando autem differentium horum motuum nullam admittunt diversitatem, actionum voluntariarum, qvas nobis volentibus exercemus, & à præmeditata nostra voluntate procedunt, & spontanearum ab instinctu & beneplacito naturæ etiam nolentibus pro naturalibus suis necessitatibus & finibus dependentium, accuratiorem negligunt considerationem. Eadem qvoqve ratio pro duplici militat motu, qvi modò nutu & arbitrio nostrô, modò spontè nobis non animadvertentibus celebratur, non nimium qvidem hîc erimus solliciti de Musculorum Anatome, qvâ manifestum fit Musculos Parallelogrammos motu magis voluntario, Orbiculares verò, qvalibus & cor adnumeratur, potiùs naturali moveri, fusiùs id deducente *Stenone in Myolog. Willis. de motu Musculorum* & pluribus aliis, structuram qvoqve cordis, qvatenus beneficiô moventium Spirituum ad hujus motum confert, ex *Lowero* repetemus, qvâ vix accuratior delineatio traditur, nisi pro majore evidentia, *fig. ænea 9. tab. 3. in oper. Mayow. de pulsatione cordis circa fibras cordis circulares* addi possit; nec in diluenda toties, non dicam, inaniter controversâ quæstione de principio Musculorum, & qvorsum contractiones & extensiones fibrarum motricium terminent, extra propositum nostrum perperàm immorabimur, remittimus lectorem circa hæc informari cupidum ad collationem contrariarum sententiarum in citato *Mayow oper. de motu musculorum se contrahentium p. 361. seqq* latiùs videndarum. Quò tamen Causæ affectûs nostri proximæ indagini propiùs accedamus, à qvo principio movente talis motus, & qvo desinente, & hic desinat, ultrò supponemus.

Non hîc mens nostra in motu voluntario summum directorium ad Musculos parallelogrammos denegare spiritibus animalibus, ut qvi voluntatem ad instinctus suos ducunt, non tamen absque spiritibus arteriosis, adstipulante nobis *cit. Mayow in oper. c. p. 5.* cui adserto qvoqve velificatur *Stenonianum experimentum*, ex qvo constat Musculum neqvaqvam contractionem inire posse, si arteria in eundem distributa vinculo ligetur, ita ut spiritus arteriosi effluxus ad musculum præcludatur. Qvoad naturalem verò motum cordis in sua systole arteriarumque diastole & vice versâ consistentem aliter comparatum est, ubi non spiritus animales primariò, sed vitales & cordis

insitus

insitus principaliter officio defunguntur, qvicqvid etiam *Arch. Piccolom. in prælect. anat. l. 4. lect. 4. p. 212.* contra *Galenum* in proscenium ducat, cujus vestigia hucusque à nonnullis premuntur, dum publicè defendere conantur motum hunc cordis adscribi debere spiritibus animalibus per nervulos in musculos cordis deductis persvasione fortean erroneâ inde simul desumtâ, qvod in animi pathematibus fortiter spiritibus animalib. per ideas impressis, eosdem & citiùs moveri per nervos, & hinc motū cordis fieri citatiorem, manifesto indicio hunc ab illis ideò dependere. Verùm licet hæc plausibiliter satis proponantur, naturæ tamen ordini & legibus vix convenire in propatulo est, dum nervi cor transeuntes impares sint, nimiumque tenelli, exiles & pauci pro sufficiente copia spirituum animalium ad cordis perennem motum necessaria suppeditanda, qvid qvod observare est, qvod plures nervorum propagines in cordis auriculas & vasa appensa, quàm in illius substantiam distribuantur, juxta *Thom. Willis. anatom. cerebr. c. 24.* qvod tamen ad commodiorem dilatationem & contractionem cordis necessum fuisset, si hunc motum natura à spiritibus animalibus unicè dependere voluisset.

Non qvidem inficias ibimus Animi pathemata ut ad totius naturæ alterationem & præprimis spirituum animalium modò intensiorem, modò remissiorem exsuscitationem multùm conferre, qvâ hinc ad singulas corporis partes violentiùs influunt spiritusqve vitales in consensum trahunt, ut pro illorum arbitrio fortiùs & hi moveantur & exsolvantur, & hinc invicem & motum cordis fortiùs promovere possint, salvô qvidem illorum symbolô, quod ad qvamvis actionem perfectè & constanter peragendam & conseqventer etiam ad motum cordis contribuunt, absque ulla tamen seqvela à spiritibus animalibus motum cordis absolutè derivari; contrarium siqvidem evincit experimentum *Willis. cit. libr & cap.* cum canis vivi circa jugulum cute per longum discissa utriusque nervorum vagorum paris propaginem arripit & fortiter eandem ligat vel penitùs abscindit, animal obmutescere & torpere observat, non interceptô tamen eâ de causa motu cordis seu pulsu, qvem tamdiu superstitem manere dicit, donec tandem præ longa inedia (omnem enim cibum respuit, propreréâ qvod nulli spiritus appetitum edendi inducentes ad ventriculum deveniant) attritis viribus

bus sensim penitùs deficiat, non verò ex motu cordis impedito, qvæ explicatio est *Isbrand. de Diemerbrœck anatom. corporis humani p. m. 384.* è diametro contraria illi, qvam *ex Lowero* experimentô simili modo tentatô, *tract. de cord. c. 2. p. 91.* interpres alius suggerit, adstruens internecionem canis & qvidem subitaneam simpliciter dependere ab inhibito influxu spirituum animaliũ per nervos cervicales ad cor, & inde sublatô hujus motu & conseqventer vita, in erroris subsidium vocatis *observat. 47, 48. Carol. Pisonis l. de morb. ex ser. colluv.* ubi à rupto prædictorum nervorum pari cordis motum repentè sublatum scribit. Qvàm impossibile autem hoc sit, aliunde id insuper, qvàm ex modò dictis liqvet, & præprimis in vulneribus capitis cum aliqva cranii & substantiæ cerebri ablatione, qvalia in castris multoties se vidisse scribit allegatus *Diemerbrœck*, ubi animadvertere ipsi licuit, si talis æger Syncope defecerit, illicò & cerebri motus desierit, si cor rursus inceperit pulsare (qvod in carpo percipi potuit) non antè, sed paulò post aliqvot pulsus paulatim iterùm cerebrum moveri observatum fuerit, postve hoc sensim etiam alia membra, nõ obscuro testimonio spiritus animales absq; cordis motu non moveri, multò minùs qvod illi hunc unicè promovere valeant, qvod ultimò ipsis absolutissimè denegatur à conspectu Apoplecticorum, qvibus denegato influxu spirituum animalium ab omnimoda nervorum obstructione nihilominùs permanet pulsus, prout ex præcedentibus jamdum monitum, nec infert qvicqvam remanens simul tamen cum pulsu respiratio, ut qvæ exercetur cum motu musculorum thoracis, notandum tamen, qvod illa respiratio non solùm sit motus voluntarii, sed & naturalis & conseqventer mixti productum, ut hinc aliqvantisper præprimis anxia cum pulsu constare possit per spiritus vitales. Interim & hi non omne motûs naturalis cordis absolvere videntur punctum, aliàs enim si hoc præstarent, eundem qvoqve in Apoplecticis continuarent, aut, qvod majus, de utroqve spiritu influò implicat dubium, cum corda variorum animalium, ut serpentium, angvillarum aliorumque è corpore evulsa diu adhuc pulsent, ubi tamen abscissis omnibus, qvibus adhærent nervis & arteriis, communicatio spirituum animalium interdicatur, & vitalium compages ad actum qvendam ampliùs exercendum destructa sit, qvinimò animadvertit curiositas *Deusingii de motu cordis*

cordis sect. 2. qvod in cane vivo mucronem cordis abscidisset, in eoq; resecto validas contractiones aliqvamdiu vidisset; qvis enim crederet animales & vitales spiritus exspiratos motum hunc causare, nisi naturalis qvidam instinctus, imò ipsa natura & insitus cordis spiritus à prioribus paulò antè vigoratus hujus Phœnomeni causa exstitisset? Non enim ex *Helmont. tr. de Lithiasi c. 9. §. 129. p. m. 89.* naturæ repugnat, partes propriô motu locali subsilire absente animâ & tristi sensatione perceptâ partes ab alio imperatore mobiles, furiosè contrahi, uti in cordibus recenter è corporibus evulsis per puncturas attactis liqvet; musculis etenim *cit. Helmont.* pergit, singulariter deest alius conspicuus motus, qvô designet sibi illatam noxam. Qvinimò naturale est penitùs omnibus membris & communi partium nisui proprium illas contrahi ob tristem illatæ injuriæ sensum, exemplô ferè qvarundam plantarum, qvæ tactum non ferunt, sed statim inde marcescunt & deflorescunt, qvalis qvædam in horto Beroliensi fuisse refertur.

Qvare ex præsuppositis concludimus ad motum cordis perfectè & constanter edendum reqviri arctius connubium spiritûs utriusque influi & cordis insiti, contra *Jac. de Back dissert. de corde p. 72.* qvibus salvis & liberis liberè procedit motus, iisdem verò qvovis modo læsis & depravatis, læditur & depravatur, alteri horum intercepto idem aut intercipitur, aut non diu durat, suffocatis verò suffocatur & concomitante Syncope deficientibus deficit, qvâ nunc præsente & motu cordis sufflaminatô, transitus etiam spirituum vitalium ad cerebrum pro illustrandis & conservandis spiritibus animalibus impeditur, ut & hi tunc non ampliùs influere possint pro insitis partium spiritibus actuandis, uude ratio, qvam ob rem motus & sensus uterqve in Syncope sufflaminatus deprehendatur nulli parcente ætati.

Obvenit autem illud per causas mediatas, qvibus spiritus pro inducendo affectu nostro, aut dissipari & imminui vel alterari & corrumpi, aut demum suffocari, horumqve amicabilis in statu naturali, conjunctio disjungi possit è naturalium, nonnaturalium & præternaturalium syndrome.

Ex priorum itaqve numerô si potiores tantùm in deliberationem trahamus, symptomati nostro exitiosi sunt spiritus & humores qvantitate vel qvalitate peccantes; Qvantitas siqvidem spirituum vel ab

inhibitâ qvodammodò respiratione, qvo minùs spiritus ætherei pro Archæo humano reficiendo cum aere inspirari qveunt, ut in strangulatis & consummatis anginosis adparet, deficiens, aut per sudores nimios, hæmorrhagias vehementes aliasqve tàm ἄνω, qvàm κάτω prægressas excretiones sensibiliter admodùm imminuta toto die ansam suffocationis præbet; ècontra humorum qvantitas excedens qvando sui ipsius impedimento in vasis stagnat, eademqve obstruit, aut non raro ipsum cor obruit, spirituum ad partes influxum impedit, commercium eorundem suspendit & ita in momento vitale figit horologium.

Ambo qvoqve qvalitate vel putridâ, vel venenatâ & malignâ, fuliginosâ, flatulentâ aut qvâvis aliâ heterogeneâ & sylvestri peccant, modò intrinseco, modò extrinseco à ⊖is vel +di, vel alcalini vitio peregrinas non solùm & deleterias excitant fermentationes, sed & pro diversa venenorum aliorumque succendiculorum ratione modò grumescentiam, coagulationem & fixationem, modò rarefactionem, resolutionem & dissipationem nimiam pro experimento *B. Etmüller. diss. de Chirur. infus. c. 1. §. 4.* inducunt, σύστασιν totius cum ordinario motu pervertunt & ipsam Syncopen accelerant, sicut in peste, febribus malignis, hecticis & syncopalibus; item à venenis variis adsumtis aut per aerem attractis, vel morsu & puncturis venenatorum animalium funestæ docent observationes.

Qvomodo insuper aer è media remotarum Causarum classe vel nimis calidus & hinc conseqvens cum dissoluta virium jactura resolutus, vel intensè frigidus subveniente concentratâ coagulatione cum actionum anomalia, aut penitùs interceptus, aut inimicâ mixtione conspurcatus suum ἐπιβάλλον μέρος communicet, præsupposita haud difficulter manifestabunt.

Cibi duriores, concoctu difficiles ad aciditatem, præprimis in Scorbuticis, inclinantes, potus non defœcati & crassi, & qvæ alia viscosius alimentum similemqve sangvinem producentia, neutiqvam hîc excludenda.

Nec somnus obtusior & qvies longior, qvatenus narcoticum spiritibus inducit stuporem, nec vigiliæ seriùs protractæ, motusque violentiores athletici & Venerei aliiqve eosdem absumentes & debilitantes penitùs immunes erunt.

Cæterùm

Cæterùm & animi pathemata improvisâ præcipuè subjectum impetentia velocitate, qvin & omnes idiosyncrasiæ antipathicæ partim, ob spirituum subitaneam exsolutionem, dissipationem aut disgregationem penetrante impressione inductam, partim ob momentaneam eorundem fixationem, congelationem & coagulationem in contrarii affectus effectibus fortiori imaginatione aut ideali identitate & naturali instinctu molestè acqvisitam spiritibus abominabili, perniciosissimam Syncopen multoties inferunt, prout hæc DEO & tempore plus otii concedentibus alii accomodata intentioni penitiùs delineabuntur.

Insuper qvoqve & excernendorum retentio & retinendorum excretio qvod culpâ non vacent, ex præcedentibus abundè liqvet. Tandem verò causas hasce agmine claudunt morbi & symptomata vel totius, vel particularium partium, hinc intemperies calidiores spiritus expandentes & dissipantes, & frigidiores interque illas omnium maxumè melancholicæ, aciditate, frigiditate & terrestreitate suâ sangvinem facilè coagulabilem & spiritus figentem foventes. Obstructiones itidem & cordis vasorumque sangviferorum majorum circa cor præsentium, unde non rarò accidit, si ipsa cordis substantia non laboret, sed tantùm obstructio in arteria magna fiat, qvod per aliqvod tempus pulsus in carpo remissus admodùm vel planè non observetur, cordis tamen motu non inhibito, sed interdum fortiori juxta *observation. D. Th. Millingtons apud Mayow cit. op. p. 373. & Barth. cent. 11. hist. 7.* à sanie interdum, cum *Andr. Laurent. l. 5. quæst. 3. Anat.* interdum à polypo aut calculo, uti id qvondam Hamburgi mihi videre obtigit in cadavere filii cujus Mercatoris dissecto, qvi crebrioribus, dum viveret, lipothymiis afflictus non aliunde, qvàm polypo albicante majori instar ossis concreto ad latera sinistri cordis ventriculi interna exporrecto unà cum multis minoribus calculis transitum arteriosi sangvinis inhibentibus, interdum & vermibus cordis ex *Zacut. prax. admir. l. 2. c. 110.* præter multas alias historias similes qvid possint efficere, qvotidiana testatur experientia, & innumeræ Anatomicorum Practicorum observationes. Symptomata non minùs varia qvantum jus in affectu Syncoptico producendo in spiritus pro iisdem imminuendis, displodendis, figendis & suffocandis habeant, ex latiori Syncopes sympathicæ elucere poterit deductione.

CAPUT III.

SEMIOTICAM exhibet.



IMMINENTIS SYNCOPES DIAGNOSTICA præbent, dum vires ex improviso fatiscere sentiuntur, succedente anxietate circa præcordia, interdum & regionem stomachalem, præprimis in Syncope cardiaca, qvæ utplurimùm vomitu subseqvente feliciter solvitur, facies floridam suam purpuram pallido commutat colore, turbatur caput cum vertigine à confusione spirituum animalium irradiationi spirituum vitaliũ aut deficienti, aut sui ipsius intestino vitio ortum debente, & inde etiam accidit, qvòd torvi conspiciantur oculi, illisqve viridia qvasi & flava offerantur, pulsus iterata sæpiùs immutatio, tremor cordis & obrepens somnus, mortis non immeritò hinc dictus frater.

PRÆSENTEM autem manifestant, subitus omnium virium lapsus, nullus qvasi vel tremulus pulsus, corpus corruit sine sensu & motu animali absqve tremore & convulsionibus, ἐφίδρωσις Syncoptica in pallente facie, fronte & pectore cum extremorum frigore visitur, qvæ signa Syncopes pathognomica singula spiritus delinqventes & in functionibus suis sufflaminatos è præcedentibus causis denotant.

PROGNOSIS non solùm ratione graduum affectus nostri modò minorum, modò majorum, verùm etiam Causarum & Subjecti respectu determinanda. Unde & ejusdem longitudo & brevitas mensuranda, si qvædam subitò absqve singulari alteratione finiatur, qvædam verò non absqve summa lassitudine & virium jactura ad horas, interdum dies duret invitè id concedente *P. Zacbia in Qvæst. Med. Legal. l. 4 tit. 1. qvæst. 11. p. m. 329.* Vix enim Zenonem Imperatorem alio correptum fuisse symptomate, qvàm Syncopticô mihi persvaserim, cùm omni sensu & motu amisso sepulchro mandatus sit, in qvo inventus postmodùm fuit, qvod suos ipse lacertos caligasqve, qvas gestabat, præ fame manducaverit, ut à *Kormanno de mirac. mort. part. 7. c. 59 ex Baton. tom. 6. Antiq. Eccles. Thesaur. c. 214.* recensetur, qvod horrendum phœnomenon ex Schenckio, Garmano aliisqve, mulieres Syncope uterinâ detentæ comprobant pro maxuma Medicorum cautela, qvod tales Syncopticæ

non

non nimis citò terræ mandentur, prout emphaticè inculcatur *ab Alexandr. Bened. prax. l. 10. c. 10. & Daniel. Sennert. l. 4. pract. part. 2. Sect. 3. c. 4.*

Par diversitatis ratio salutis & mortis Syncopticorum divinationem & præsagia variat, hinc cum *Paulo Ægineta l. 3. c. 34* confitemur: Cor primariâ & essentiali affectione à Phlegmone, febb. malilignis, aliisqve acutissimis, aut aliâ dyscrasiâ vehementi laborans, & in cavitatibus suis obstructum, vel unitate per vulnera & ulcera solutum, præprimis in corpore debili, & ubi sæpius & sine causa manifesta Paroxysmus affligit ex *Hipp. aph. 41. Sect. 2.* desperatam & lethalem facit Syncopen. Per consensum verò affectum cor, nisi vires collapsæ & penitùs morbo fractæ sint, curationem recipit & spem salutis promittit.

CAP. IV.

PHARMACIAM suggerit.



SI verum est, qvod *Rabbi Moyses aph. 6.* scribit: totum ingenium Medici debere esse in hoc affectu prævidendo, præcavendo & annunciando, illum enim, qvi hunc non prævidet, nec præcavet, aut periculum non prædicit, homicidam incusat; haud sanè abs re erit Syncopes non tàm in esse, qvàm in fieri curam habere, & illuc methodum medendi dirigere, qvæ in utroque casu causarum ablatione, virium confirmatione & spirituum refectione absolvitur.

Pro diversitate itaque indicantium, Indicationes qvoqve & Indicata variant, qvæ, si desumantur è FONTE CHIRURGICO, & qvidem tempore Paroxysmi durantis, consistunt in frictionibus vel simplicibus & generalioribus, vel cum ♃to rutaceo in labris institutis, pilorum qvoqve vellicationibus & evulsionibus, ligaturis etiam, præprimis in Syncope consensuali. Cucurbitulæ itidem suo usu non carent. Qvid verò de Chirurgia infusoria singulare sperandum, prout *B. Etmüll.* etiam post mortem celebris *diss. de Chir. infus. c. 3. con. 3.* judicat, nobis anceps videtur. Venæsectio tamen, qvatenus sangvini motu peccanti, præprimis in inflamationibus succurrit, extra paroxysmum, & potiùs præservationis, qvàm curationis gratiâ admitti poterit.

E FONTE PHARMACEUTICO petita remedia exhibitionis regulam pro tempore variant, cum qvædam, prout idem de Chirurgicis injunctum, in paroxismo, qvædam extra paroxismum propinentur.

Prior autem *indicatio* præprimis externa, cum interna vix exhiberi possint, svadet, naribus, ori, diaphragmati, regioni cordis & temporibus applicanda è spiritibus volatilibus ⊖✳ci, castor. C. C. cum oleis ♌tis rutæ, succin. cinam. acuatis non tantùm naribus admotis, sed & ori in ▽ carbunc., apoplect., Anhaltin., aut aliâ spirituosâ ad guttas aliqvot coactè infusis: Eidem fini inserviunt Balsami, apoplectici dicti fragrantibus oleis benè saturati, & Ambra, & Moscho, absit in hystericis, exaltati.

Topica è modò recensitis ▽is spirituosis camphorâ & croco mixtis, cum suppedalibus ex absinth. succo, ⊖, ✣ & fermento acri constantibus hunc censum explere possunt; nec inutilis aspersio ▽æ frigidæ, vel simpl. vel spirituosæ rosaceæ in faciem, aërisqve frigidi admissio: Excitatæ qvoqve sternutationes fortibus pharmacis laude suâ non carent. Si qvis etiam durante contumaciter afflictione modo in Apoplecticis solenni Clysteres revellentes, stimulantes, abstergentes & carminativos nonnunqvam anthelminticis in metu vermium commixtos Syncopticis per sympathiam talibus cum grano salis ordinare velit, non infelici id expediet successu, cujus in juvene æqvè prosperè tentati reminiscimur.

Extra Paroxismum Curatio seqvitur accuratum Medici judicium, ad cujus cynosuram & normam ordinationes & præscriptiones metiri debent pro diversitate causarum differentes: in qvarum remotione cùm studiosi sint omnes Practici, actum agere supervacaneum ducimus, præprimis cum qvælibet Syncope consensualis specialem sui reqvirat considerationem, cum alia medendi methodus Syncopticos ab ulcere pulmonum tales, alia à cerebri, hepatis, ventriculi, intestinorum aut uteri vitio, alia à vermibus, vel assumto veneno, alia ex Scorbuto delinqventes concernat, qvibus incommodis variis averruncatis & morbis particularibus sublatis symptoma qvoqve nostrum evanescet. Ad qvem scopum acqvirendum Medicorum celeberrimorum adeunda consilia, qvæ ubertim extantia nos hîc in diffusiore praxi tradendâ supersedere jubent. Interim ut sæpiùs urgentibus proximioribus cau-

ſis obviam eamus, ad ſangvinem, & ſpiritus principalior reſpectus eſt habendus: Ille, ut fluidus, & ſine impedimento mobilis pro libero ſpirituum tranſitu conſervetur, præcavendus à coagulatione & grumeſcentia, aut jam grumefactus & coagulatus iterùm reſolvendus: Qvo autem illud fiat, removenda ſunt acida talem diſpoſitionem ſangvini inferentia, ſi vitio ventriculi, Emetica cruditates acidas non rarò venenatas, ſi adhuc in primis viis hærent, evacuantia ex ♀ emet. M. gr. j, ij, iij. aut vino Emetic. R. uſu veniunt, procul abſit à nobis, qvod connatum & ſpecificum ventriculi acidum cum *Tachen in Hipp. p. n. 190.* ſtatuamus. Si verò lienis culpâ non ſolùm lenibus purgantibus antiſcorbuticis combinatis, & per infuſionem paratis ex ſenn., fibr. helleb. nigr., rad. polypod., helen., herb. fumar. cuſcut., ſem. card. bened., cochlear., cort. tamariſc., cappar. aliisque pluribus optata attingitur meta. Reſolutio verò ſangvinis ad naturalem ſtatum intenditur, & cor præ inſultibus ſyncopticis præmunitur urinoſis & volatilibus aromaticis ex ſpiritu ⊖✳c. Eſſ. caſtor., cinamomi, croc., ∇ apopl. heroic., vit. alb. S., carbunc., vino generoſo, Elix. vit. M. Eſſ. moſch. & ambr. Tinct. corall. cum ſpir. cord. cerv. & antiſcorbutic. Balſam. anglic. c., Tinct. bez. M. & n. præ illa univerſalior & magis aromatica, Tinct. ♀, qvibus omnibus virtute probatiſſimâ non cedit ⊖ vol. oleoſum, qvale ſeqventi modo concinnatum aſſervamus: dum recepimus ſpiritum vini ♀ſatum eidemque tantum olei ♌ lati macis addidimus, qvantum is haurire poterat, & tunc ſpiritum ⊖✳c. ſuper cinamom. & macere rectificatum cum temperamento admiſcuimus pro medicina ſingulari & admirandarum virium in morbis archæalibus. Hôc non ignobilior modus eſt alius qvondam B. Parenti arcanus, qvando ex gran. cherm. unc. vj. ol. mac. unc. ß. ſpir. ⊖✳c. rectific. unc. iß. ſpir. vini rectif. ⊖ ♀ ſaturat. unc. x. per alembicum ⊖ vol. oleoſum inſignis efficaciæ produxit, ⊖i vol. Sylv. affine.

Pertinet huc Tinctura ☉ è croco auri beneficio menſtrui ♄ nini extracta C. Michaëlis, cui non abſimilis ex eodem croc. ☉ per Ol. cinamom. eſſentificata *Baſilii Valentini* & plures aliæ, qvalibus tamen ratione virtutis ſuæ medicinalis palmam præripere videtur alia Tinctura ☉ris cum ſpiritu volat. aer. naturæ noſtræ homogeneo *à Cel. Langelotto in Epiſt. ad naturæ curioſ.* præparata, qvalem & nos

nos cum eodem ⊖e vol. æthereo laboramus, licet non radicaliter atqve pro lapide philosophico, summo tamen naturæ solatio excogitatam, plura desuper notante *Gabr. Clauder. diss. de Tinct. univers.* Elegantissimæ qvoqve virtutis Tinctur. huc referri poterit ex ♁ per spiritum qvendam Microcosmicum ⊖e vol. ♀ facillimæ præparationis ebrium modo nobis usitato extracta.

Contrario verò excessu dum sangvis peccat in nimia resolutione & rarefactione, ut hoc modo suam naturalem σύςασιν v. g. in Hectica, febribus aliis ardentibus & malignis perdiderit, fixiora ▽ea ex meliss. borrag., ros. citr. confect. alcherm. & de hyac. animata, ut & terrea modò simpliciter præcipitantia è corall. ocul. ♋r. conch. præparata, modò virtutem bezoardicam conjunctam habentia, ut C.C.ph. ♁ diaph. bez. mineral., modò simul cordiali specificâ pollentia qvalitate è matre perlar., margarit. ☉, gemmis, oss. cord. cerv. pro speciebus cordial., de gemm. frig. diamosch. & diambr. decomposita, non obstantibus *Febure* & *Etmüll.* hisce nobilissimis corporibus cum injuriâ specificam suam actuationem denegantibus, ut hinc abundè illis satisfaciente *curios. Boyl. tr. de gemm. virtut. p. n. 121. seq.* & *Tachen. de virtut. & dos. lap. Bezoar or. in Hipp. p. n. 188.* consultò sibi invicem in variis formulis variè socientur, non solùm ut sangvini dicto modo prospiciant, sed & spiritus vel nimis volatiles fixent, & fixatos p. n. exsuscitent, ipsumqve Cor solentur.

Qvid tandem in Affectu nostro DIÆTÆ legibus conforme censeatur, è contraria rerum non naturalium ad Syncopen inducendam ratione haud difficulter inde sumptâ cautelâ ex Ætiologia nostra videri poterit, qvo Lectorem Benevolum humaniter reducimus, & ne nos invidiosè redarguat, officiosè contendimus.

TANTUM!

S. S. T. S. L. E. G. I. S. S. A.

